SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM DE REVELLENTI VESICANTIUM...

Francesco Nicolini

SPECIMEN

INAUGURALE MEDICUM

DE

REVELLENTI VESICANTIUM ACTIONE

QUOD

AD MEDICINAE LAUREAM

IN I. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE CONSEQUENDAM

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

FRANCISCUS NICOLINI

DE THIENIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXX.

PATRVELIBVS · SVIS · AMANTISSIMIS

IOANNI · BAPTISTAE

MEDICO · EGREGIO

ET

ANDREAE · CIVI · OPTIMO

HOC · OPVSCVLVM

FRANCISCVS · NICOLINI

D · D · D ·

22b

DE REVELLENTI VESICANTIUM ACTIONE

Maximi momenti argumentum, quod in morborum cura Medicina practica exhibet, quod tamdiu apud Hippocraticos in deliciis fuit, quodque demum postremis hisce temporibus summi ingenii viros in plurimas disputationes conjecit, et omnes Practicos, qui aegrae humanitatis bono et scientiae suae incremento consulunt, diligentissimos ad sui pertractationem requirit, hoc, inquam, argumentum meo judicio illud est, in quo vesicantium doctrina consistit atque versatur. Nec enim satis dici potest, quantum utilitatis ex eo in therapeuticam redundarit, et quantum emolumenti ad morborum curam ejusdem applicatio contulerit.

Totum illud, quod actu practico vesicantium usus parit, repetendum est ex constanti sympathia systematis dermoidis cum aliis organismi partibus. Id frequenter constat ex observatione pathologica, et vesicantium bonus exitus in quibusdam metastasibus ex veritate plurimorum fa-

ctorum clarissime confirmatur. Hippocrates, Aretaeus eorumque discipuli connexiones sympathicas systematis dermoidis cum reliquis viventis corporis partibus penitus introspexerunt, et idipsum systema tamquam speculum, ex quo interni morbi reflectuntur, jure existimarunt.

Procul dubio praecipuos, et magis sensibilis vesicantium effectus consistit in stimulands parte, ad quam applicantur. Id ad unum omnes concedunt. Sed vesicatia illud etiam proprium habent et certissimum, quamvis sit a multis oppugnatum, distrahendi scilicet per irritationem artificialem, aut revellendi morbosam affectionem ab internis partibus, quae aggressae sunt.

Hic ego aliis disputationem relinquam, utrum consequens actio fiat tollendo spasmum fibrarum affectarum internum, et extra vocando stimulantem materiam morbificam, quemadmodum contendant Forsten et Medicus; utrum soli motus et processus morbosi quorumdam organorum ad artificialis irritationis locum transportantur, quod quidem celeberrimos Scarpa et Gusni asseruerunt; utrum denique excessos excitamenti solus aut conjunctus portioni stimulorum et excitabilitatis a partibus affectis ad locum externae phlogosis removeatur. Hae postremae opiniones de derivatione in causa fuerunt, cur acerrime nonnulli ex Societate medico-chirurgica Parmensi in-

ter se decertarint. Ego profecto non is sum, qui audeam hanc quaestionem tum difficilem, tum periculosam dirimere; sed id unum mihi propono, relicta aliis argumenti libera explicatione, id unum facto ipso affirmare, quod nimirum existit haec facultas revellendi vesicantium propria, cujus gratia non pauci morbi, aliunde indociles, profligantur, quodqua vesicantium applicatio plurimum confert in affectionibus phlogisticis aut solis, aut conjunctis cum diathesi hypersthenica, et in affectionibus partialibus ex debilitate solis, aut conjunctis cum generali hyposthenia statu.

Hippocrates sibi primus ideam finxit ad externas corporis partes affectionem revocare quae internum organismi adoriebatur, stimulo artificiali ad cutem applicato. Id ille in libris suis passim proponit, et cum multa utilitate secutus est. Videtur ipse in excogitanda derivationis theoria innixus fuisse observationi naturalium phaenomenorum, et suspensionis sive cessationis quorumdam morborum illo temporis puncto, cum impressio molesta in aliqua corporis parte excitaretur. Imitabatur igitur et sequebatur conatum naturae, quae affectam partem liberabat aliam interim morbo adoriens, et in curandis morbis hanc irritationem promovebat ad cutem, ut affectionem ab illa parte distraheret, quae aggressa erat. Ceteri omnes post Hippocratem hujusmodi theo-

riam admiserunt, et doctrinam commendarunt! Sydenbam, Pringle, Stoll, Cullen, Baglivi, Withers, Lancisi, Wautheurs et alii quamplures insignes practici hanc medicinae epispasticae partem valde illustrarunt.

Sed recenti aetate celebres viri revulsivam vesicantium proprietatem in dubiis habuerunt, imo omnino negarunt. Ego eorum auctoritati et opinioni non adversor, sed dico, eos fortasse non observavisse, ut par erat, illa facta, ex quibus evidenter veritas constat.

Si nos sine ullo partium studio annales Medicinae a primis temporibus usque ad nostram aetatem diligenter evolvamus, videmus certe, Hippocratem vesicantium applicationem commendavisse in inflammationibus pulmonaribus tunc maxime, cum respirandi et sputa extrahendi difficultate aeger in vitae periculo versabatur. *In pulmonis affectibus,* sic ille, *quicumque tumores fiunt ad crura, boni.* Aretaeus ad levandos internos dolores scarificationes ad cutem molestissimas praescribebat; Celsus ad dolorem pectoris leniendum externam cum aceto sinapis applicationem in pleuritide proponebat; Guillot, ubi de fluxione agebatur, vesicana prope organum affectum admovebat; Cullen autem simul, aut post evacuantium remediorum usum, illud in encephalitidis cura suggerebat. Consequens inde illa-

rum affectionum suspensio, aut cessatio exclusive a revellenti vesicantium actione pendebat, quaecumque tandem esset istorum effectuum explicatio.

Capitis et colli inflammationes a Withers, et plurimae ophthalmiae a clarissimo Scarpa superatae hoc epispastico ad occipitium admoto nonne satis probant, revulsas fuisse affectiones organorum, aut viscerum quae in periculo versabantur? Anne sanitatem causaa incognitae tribuendam esse dicemus, si ante oculos nostros causa existit maxime rationi consentanea? Nec dici potest, ex actione remediorum, quae ante vesicantium usum adhibita sunt, rem feliciter accidisse; primum, quia aliquod temporis spatium plus minusve longum semper intercedit inter unum et alterum remedium, ut possint recta judicari effectus eorum in animalem oeconomiam; deinde, quia nunquam unum adhibitum esset, si alterum profuisset. Quod si aliquando ad revellendam ophthalmiam, aut aliam phlogosim stimulus nihil contulit, id regulam generalem minime tollit; scimus enim in horum morborum decursu tales in organis, aut visceribus affectis immutationes accidere posse, unde vesicantium applicatio, quemadmodum aliorum remediorum usus, in irritum recidit. Liquet igitur, hujusmodi affectiones profligatas, cum primum pellis usta est, con-

nisi per derivationem fuisse; nec enim sanitas umquam haberetur ex actione stimulanti, quam vesicantis inducere potuissent.

Spontanea membranosarum affectionum transportatio ab una ad aliam partem corporis nobiliorem, ut frequenter in morbis apparet; viscera interna quae afficiuntur, ubi erysipelas aliquam cutis extensionem dereliquit; cessatio turgoris molesti in una articulatione, ejusque ad pectus transitus; repentina parotitis solutio, quae ad aggravandos testiculos transportatur; exanthema denique subito dilapsum, et cum gravissimo aegri vitae periculo ad cerebrum discurrens; haec omnia nisi satis demonstrant certam in natura derivationem ab uno ad alium earumdem affectionum locum, attamen clare per artem probant (quod nemo negare poterit) affectiones revocari ad partes primitus affectas per applicationem vesicantium, idest per solam et exclusivam eorumdem revellentem facultatem.

Quis vero nesciat, quas et quantas utilitates habeat in hisce casibus transpositionis morborum ab una ad aliam partem immediata vesicantium applicatio? Nullam aliam causam nisi solam revulsionem agnoscunt omnes illi casus restitutae sanitatis, quae in his frequentibus affectionibus quotidie apparet. Nec ullus est practicus tam rudis, qui hujus remedii promptam et necessariam

applicationem non fateatur. Quod si quis adhuc contra diceret, is affirmare constauter deberet, cantharidum applicationem affectiones a visceribus, aut a partibus, ubi insidebant, nunquam removisse, et processum morbosum contra omnia remedia ulterius progressum fuisse. Sed revera cantharidum usus distrahit morbum, ergo illum distrahit causa illius facultatis, quae denegatur. Celeberrimus Tommasini, qui acerrime contra hanc actionem insurgit, fatetur, cessationem doloris punctorii in pleuritide, aut suspensionem atrocis molestiae inflammatarum meningum, cum primum cutis uritur, tribuendam esse modo agendi diverso ab illo, quo stimulatur et augetur excitamentum. Sed quinam tandem est hic modus agendi nisi revulsionis?

Prodest plurimum vesicantium applicatio, cum agitur de phlogosi partiali alicujus organi, dummodo totum organismum non afficiatur. In hoc casu exiguum illud incommodum (si quidem est), quod oriri posset ex stimulo cantharidum adjuncto systemati, nullum prorsus est, si comparetur cum utilitate, quae ex revulsione affectionis ad externum existit. Observandum tamen est, applicationem vesicantium fieri debere in loco longe ab organo inflammato, ne forte excitamentum augeatur.

In morbis inflammatoriis internas partes affi-

cientibus, in inflammationibus catarrhalibus, rheumaticis praesertim, a primo morbi impetu, et ante febrem utilis est usus vesicantium. Si enim ab una parte ad externum revocant incipientem morbosam actionem, ab alia necessarium cuti stimulum ad suppressam functionem anscipiendam impertiuntur. Dupliciter in hoc casu juvant, et illas proprietates ostendunt, quas jure eisdem dantur. Sed in progressu morbi, cum ad debilitantia necessario confugiendum sit, cantharidum applicatio non tam opportuna venit. Quibusdam vero indulgere nequeo, qui hanc simplicem et commodam curandi rationem relinquentes quocumque tempora, quocumque casu bonum exitum sibi a vesicante pollicentur. Certe negligentia in observando, caecum empirismum et alienae auctoritatis immodarata saepa reverentia et admiratio effecit, ut nonnulli ex practicis tam communi et salutari remedio abuterentur, nec applicationis casus recte perpenderent, nec effectus vera determinarent.

Si vero non est indicata vesicantium applicatio, cum morbi jam explicati sunt, eo quia timendum sit, ne damnum activitatis stimulantis systemati adjunctum derivationis utilitatem vincat, tunc profecto est indicata maxime, cum jam lenito per methodum antiphlogisticam exuberanti excitamento, sed nondum revocatis ad statum

normalem partibus affectis, motus anomali et oscillationes morbosae subsistunt non pendentes a conditione virium vitalium, nec ab organico vitio, sed conjunctae vitalitati morbosae illarum partium, tales demum, quae omnem aliam curam excludentes exigerent unicam vesicantium applicationem, ut morbus cederet.

Consideremus nunc, utrum etiam in morbos ex debilitate, aequa ac in morbos ex stimulo, supremam hanc actionem vesicantia exerceant.

Vesicantium ad eutem applicatio et inde orta phlogosis inter validiores causas numerantur, ut systema sthenice afficiatur, et excitamentum adaugeatur. Monet Platner, vesicantia in nervos stimulantem actionem maxime immediatam et vehementem exercere, omnes vitalium organorum fibras ab iisdem excitari, et universum systema vim incredibilem, qua antea carebat, acquirere. At si in curandis morbis diathesis hyposthenicae opportuna est stimulans cantharidum facultas, quae excitamentum promovat, maxime efficax est ejus facultas revellens, si quidem morbosi motus ad aliquod organum, aut viscus determinati associantur. Barthez, Witthers aliique auctores de vesicantium actione etiam in his morbis verba optime fecerunt.

Sed repetenda ne sunt hic ea omnia, quae de epispasticorum utilitate in curandis febribus hy-

postbenicis, nervosis et typhoideis artis magistri tradidere? Status ille prostrationis et aberrationis virium vitalium, unde praesertim hujusmodi affectiones notantur, et quorumdam morbosarum actionum, quae consociantur, obstinatio nimis jam cognoscitur, ut de hujus therapeutici remedii emolumento dubitemus. Quis non vidat in febribus nervosis cum vomitu et singultu conjunctis, quibus aegar in summum vitae discrimen adducitur, maximam efficaciam vesicantium, unde non solum vires excitantur, et totum systema salutari motu impellitur, sed etiam illae perturbationes praecipue distrabuntur, quae vomitum et singultum promovebant? Quis in ipsis febribus putridis, et in ipsa vitalitatis dejectione, tunc cum inflammatio sese prodit in aliquo magni momenti viscere (quod in his febribus haud raro apparet); quis, inquam, hujusmodi pharmaci virtutem negabit, qua revellitur ea affectio, quae visceris illius perniciem moliebatur, et eodem tempore languentes vires reficiuntur, et excitamentum erigitur?

Vetant nonnulli, vesicantia in febribus putridis applicari, quia timent, ne ad applicationis plagam gangraena fiat. Sed hic timor omnia cessat, si ipsi emplastrum a loco movaant, antequam omnem suam actionem penitus exeruerit. Quod si nihilominus oriatur gangraena, tunc prae-

sto sunt lavationes frigidae cum aceto simplici aut aromatico, et addita camphora et allumine, sive plaga gangraenosa aspergitur pulvere et floribus camomillae, camphorae, carbonis, et similibus antisepticis.

Sed quod magis atque magis animadverti debet, est ante reliqua omnia sollicitudo adhibendi remedii in ipso harum affectionum exordio. Quot enim aegri moriuntur, quia procrastinatio intercedit? Fatemur, nos quandoque decipi posse a symptomatibus gastricis, quae harum febrium irruptionem comitantur, sed hoc in casu vesicantia emeticum subsequi oportet, et magis prompte, quam solitum est. Solum in morbo nimia ultra progresso, et cum serius vesicantia applicata sunt, ulcerationes quandoque, et gangraenosae plagae fiunt, quae aegrum ad ultimam perniciem trahunt.

Sunt nonnulli ex practicis, qui fallaci quadam theoria illusi felices curas tribuunt evacuationi, quam provocat topicorum vesicatoriorum applicatio, sibique persuadent, materiam morbosam hac via eliminari, et bonum exitum judicari posse ex quantitate fluidi, quod separatur. Dolemus siquidem, esse quosdam, qui hac methodo semper abutantur cum summo aegrorum damno in curandis febribus hypostenicis, nervosis, putridis; hinc fit, ut vesicantia non jam virium sy-

stema excitent, sed prostrationis statum perniciose adaugeant. Memorent itaque ipsi, quod sapientissimus Stoll dixit: *Non suppuratio, sed stimulus prodest*, et feliciorem exitum obtinebunt.

Quae nunc sit Tommasini sententia et opinio de usu vesicantium eorumque facultate in morbis ex debilitate, operae pretium est cognoscere. Ipse plurimos casus in medium affert singultus, vomitus, cephaleae, asthmatis convulsivi, in quibus vesicantium applicatione optimam curam obtinuit; affirmat, se vesicantia numquam applicavisse (si tempus sinebat), nisi prius repetitis vicibus tentaret et mutaret stimulos diversae efficaciae et indolis, ut nimirum judicare posset de praesentia actionis revellentis, quam ad extremum non admisit. Observabat, methodo exclusive debilitanti affectiones exacerbari, non leniri stimulanti, et sola vesicantium applicatione tolli. Sed, inquam ego, qua alia vi illi morbi ceaserunt, qui omnem reliquam curam adversati sunt? Pertinax singultus, vomitus, dolor, in quibus curandis efficaciore et plura utriusque classis remedia tam longo tempore adhibita frustra fuerunt, et nulla prorsus immutatio sub eorum omnium actione accidit; qui e contrario cessent et evanescant repente, ubi primum incipiat efficax epispasticum ad brachia aut ad thoracem ap-

plicatum excitara in cute phlogosim molestam, nonne aperta demonstrant revulsos esse illos motus morbosos, qui affectionum illarum basim constituebant? An dicendum erit, vesicantia in hisce casibus tamquam excitantia efficaciore illis, quae primo tempore adhibita fuerunt, et magis consentanea gradui excitamenti, et magis opportuna huic excitamento ad statum normalem elavando profuisse? » *Quando in vero* (en ipsissima Tommasini (1) nostri verba), *nelle iposteniche malattie una flogosi artificialmente risvegliata in qualche tratto di pelle si mostrasse atta (nel maggior numero almeno dei casi) a liberare una data parte de' movimenti morbosi rimasti costantemente ribelli ai più efficaci eccitanti, sarebbe forse una debole risorsa il pensare, che le cantaridi, o la senape agito avessero solamente come stimoli di un dato grado, meglio degli altri stimoli proporzionato alla malattia, e non sarebbe forse irragionevole il sospettare che la flogosi suddetta, o lo stimolo che la produsse indipendentemente dall' eccitare il sistema, smuovere possa e rivellere da una parte particolarmente afflitta i morbosi movimenti. Che se di più l' applicazione dei*

(1) Ricerche sull' azione dei vescicanti e de' rubefacienti, ed esame della così detta azion revellente.

vescicanti o de' rubefacienti producesse indistintamente in ambedue le diatesi (nel maggior numero dei casi almeno) l' intento di liberare una parte dai movimenti, che l' affliggono, bisognerebbe assolutamente accordare ai rimedj in questione una forza diversa dall' eccitare, la forza cioè di smuovere o di deviare una morbosa affezione dai punti, ove maggiormente infierisce. Haec habet Tommasini, cujus sententiam et observationes de vesicantium revellendi facultate in duabus oppositis diathesibus omnino confirmat et sancit plurimorum factorum veritas et auctoritas. Abutuntur ratione, et nimium severi sunt, qui omnes animalis oeconomiae operationes ad suetum vel diminutum excitamentum redigere volunt, et huic legi subjiciunt illarum affectionum cessationem, quam nec magis variatum augmentum, nec magis variata stimulorum subtractio consequi umquam potuit.

Concedimus, aliquando inutilem vesicantium applicationem fuisse, aeque ac aliorum remediorum excitantium, nec morbosam affectionem dissipasse, quam tamen cum practicorum admiratione aut ex se ipsa, aut ex quibusdam organismi conditionibus et immutationibus (quas non tam acutis oculis sumus ut introspiciamus) cessavit; sed hoc veritatem non excludit plurimorum casuum, in quibus revulsio optimos effectus praebuit. Et

quamquam hi effectus desint in praxi, id potius nostri ingenii non ita solertis tenuitatem accusat, quam ipsius activitatem remedii.

In morbis, qui natura sua vagi et instabiles sunt, salutares revulsionis effectus insigniter apparent. Affectio herpetica, quae sede sua relicta ad pectus transfertur; vetus ulcus, quod jam in crure suppressum morbosam actionem ad encephalum excitat; arthritis, de qua nemo fortasse tam egregie disputavit, quam Balthassar Dugant (1), qui ab una ad alteram articulationem vagans irritationem suam in internam oeconomiam animalem transportat; nonne haec omnia exigunt immediatam vesicantium applicationem, cujus causa ab aggressis visceribus sint revulsi, et ad primitivam sedem determinati morbosi vagarum affectionum motus? Puer, inquit Alibert, annorum decem in periculo amittendorum oculorum versabatur, eo quia retrocesserat tinea furfuracea, quae parti capitis sinistrae et laterali insidebat. Ipsa subito liber evasit ex effectu ceroti exigui vesicatorii ad occipitium applicati. In muliere adolescente confluentibus variolis affecta deprimebatur eruptio pustulosa, et variolosus fomes jam pectus invaserat. Ipsa autem ita in angustius erat, ut nulla salutis spes superesset. Corpus e-

(1) Dissert. *De arthritide vaga*.

rat ad instar crustaa fissae, ex qua intolerandus odor exhalabat; respiratio impediebatur, et vox deficiebat. Duo largi vesicantia ad internam femorum partem admota symptomata morbosa penitus mitigarunt, et ad externum suspensam variolosi processus actionem traduxerunt. Haec et alia plura exempla, quae in medium afferre possem, nisi temporis brevitas obstaret, satis confirmaot, esse propriam vesicantium vim revellentem.

Colla in sua Memoria: *Dell' operazione degli epispastici sull' economia vivente*, hanc propositionem sibi demonstrandam sumit, scilicet quod, ut in diathesi sthenica sunt damnosa vesicantia augendo excitamentum, ita sunt damnosa in hyposthenica transportando ad applicationis locum quantitatem virium, quibus partes internae nobiliores indigent. Exceptiones, quas admisi in usu vesicantium juxta diversa eorum stadia in morbis hypersthenicis, et casus illi, in quibus eorum applicationem probavi, vetant me istius auctoris sententiae subscribere. Imo ego illi in mentem revoco, vesicantium applicationem stimulanti sua actione nullo modo nocere posse, debere autem revellenti prodesse. Quoad damnum, quod ait oriri in diathesi hyposthenica associata, val non motibus alicujus partis morbosis, eo quia ad cutem transportatur quantitas virium internis par-

tibus nobilioribus necessariarum, id dico, concessa etiam hac privatione virium in his partibus juxta ejus theoriam de derivatione, utilitatem stimuli et excitamenti, quod toti systemati addit plurium vesicantium applicatio, esse longa multumque superiorem damno, quod a revulsione haberi posset.

Cum de vesicantium applicatione in morborum cura agitur, maxime interest cognoscere eorum essentiam sthenicam vel hyposthenicam, relativam vel absolutam, atque etiam naturam motuum morbosorum, qui debent distrahi; utrum scilicet iidem pendeant, an non, a simplici perturbatione excitamenti; utrum, an non, liberi sint a quacumque suspicione affectionis organicae, aut instrumentalis, unde foveantur. Ubi vitium organicum adsit, frustra adhibetur certe virtus revellens vesicantium, atque etiam eorum, aliorumque remediorum magis efficacium actio stimulans.

Praestat insuper scire, in variis vesicantium indicationibus, quis locus magis ad applicationem opportunus habeatur. Barthez in collectione Societatis medicae Parisiensis Memoriam inseruit, quae continet multa optima ad delectum earum partium spectantia, ubi magis vesicantium applicatio juvat. Ad hunc fontem confugiant, qui rem prorsus cognoscere volunt.

Ex iis, quae diximus, concludendum est, ve-

sicantium utilitatem eminere non solum in morbis diathesis sthenicae, si iisdem suo tempore, suis casibus et prudenter utamur, et in morbis sine diathesi; sed multo magis in hyposthenicis, praecipue si associentur inordinati motus, qui organa aut viscera nobiliora affligant. Tandem eos, qui vim revellentem oppugnant, monitos facio, opus esse ad stabiliendam regulam generalem, ut facta omnia particularis in hac comprehendantur, et, si actioni solum stimulanti vesicantium effectus omnes in animalem oeconomiam inductos tribuere velint, debere ipsos prius factis monstrasse, quod non existat, nisi actio sola stimulans, quodque ipsa sufficiat ad intelligenda omnia phaenomena organica, quae a vesicantium applicatione repetuntur.

THESES PROPUGNANDAE.

I.

Quodcumque vitam animalem adficit, medicamentum fieri potest.

II.

Febres essentiales non dantur, omnes sunt symptomaticae.

III.

Nonnullae nevroses psychica potius, quam medica manu vincuntur.

IV.

Quo rudior populus, eo minus eget medicis.

V.

Cadaverum incorruptibilitas non semper supranaturalem, sed physicam interdum et naturalem causam noscit.

VI.

Ophthalmia Aegyptiaca cum nostra catarrhosa congruit.

VII.

Utraque sub certis rerum adjunctis contagiosa evadit.

VIII.

Plantarum somnus minime denegandus.

IX.

Venena pro dosi sunt medicamina, medicamina pro dosi sunt venena.